

PA 305

.Z3

Copy 1



PA 305

.Z3

Copy 1

DE  
PRIORIS NOMINUM COMPOSITORUM  
GRAECORUM PARTIS FORMATIONE.

PARTICULA I.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONCESSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVIII MENSIS IULII A. MDCCCLXXXIII HORA XII

IN AUDITORIO MAXIMO

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIIS

PUBLICICE DEFENDET

**KONRADUS ZACHER**

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

AEMILIUS GÄSSNER, CAND. PHIL.

RICARDUS THIELE, DR. PHIL.

—•••••—  
HALIS SAXONUM,  
FORMIS KARRASIANIS.

PA 305  
Z3

**ERNESTO HÖPFNER,**

REGI BORUSSORUM A CONSILIIIS SCHOLASTICIS

PIO GRATOQUE ANIMO

HUNC LIBELLUM

DEDICAT

**AUCTOR.**



Ut omnium linguarum indogermanicarum, quas vocant, sic Graecae quoque nomina composita non amplius duobus membris constare solent, et si quae videntur ex pluribus partibus esse conflata, tamen revera composita non sunt nisi duo vocabula, quorum vel alterum vel alterutrum ipsum quoque compositum est. Itaque *τετραγωνοπρόσωπος* duobus constat vocabulis, *τετράγωνος* et *πρόσωπον*, quorum utrumque est compositum duas partes continens. Et sanscritum, quod affert Iustus p. 19, *sura-vadhû-paribhukta-latâ-grhâs* compositum est ex *latâgrhâs* et *suravadhûparibhukta*. Rarissima in lingua certe Graeca (nam sanscrita, quae copulativa adamat, eius generis compositis fecundior est) sunt composita plus quam duobus membris constantia, quae illum in modum solvi non possint, ut *ἀποχειροβίωτος* (= *ἀπὸ τῶν χειρῶν βιῶν*) apud Herodotum, plura apud comicos, e. c. *τορνευτο-λυρ-ασπιδο-πηγός* Arist. av. 491. Quae quum ita sint, omnis de compositis quaestio duplex est, ut aut de priore aut de posteriore parte agatur. Et nos quidem nunc satis habemus, priorum partium formationem examinare, eam quam de posterioribus instituimus quaestionem posteriore quodam tempore edituri.

Priorum igitur partium triplex est natura, quum aut a nominibus aut a verbis aut ab adverbis vel particulis indeclinabilibus sint petitae. Et earum quidem, quae ab indeclinabilibus petitae sunt, in dissertatione nostra rationem non habebimus, ut quae propter ipsam naturam mutationes perpessae sint pauciores, quodque in ea re fere consentimus cum Roedigero, qui initio libelli sui de illis egit. Ut igitur has mittamus, in ceteris vocabulis compositis ad prius membrum fingendum aut adhibe-

tur nomen sive substantivum sive adiectivum, interdum etiam pronomen, aut a verbo aliquo repetitur forma huic ipsi usui soli destinata, et extra compositionis complexus non usurpata. In illo igitur compositorum genere stirpes sui iuris perfectae suisque numeris absolutae et praeterea etiam continenti sermone usurpatae traducuntur tantum in hunc compositorum usum: in hoc novae omnino finguntur formae. Itaque in illo nihil quaeritur nisi quomodo mutantur stirpes illae, quum ad composita fingenda adhibentur, in hoc de tota vocis forma quaestio est.

## CAPUT I.

### De priorē parte nominali.

Eorum compositorum, quae a nominali parte incipiunt, in omnibus familiae indogermanicae linguis hanc communem esse legem constat, ut prior pars sit purum nominis alicuius thema, nullo addito declinationis signo. Quam legem et a Germanicis linguis et a Slavicis, omniumque severissime a lingua Sanscrita observatam Graeci quoque in maiore certe compositorum parte secuti sunt: id quod exemplis demonstrare vix videtur opus esse. Huius generis est primum magna illa turba eorum, quorum prior pars continet nomen secundae declinationis, ut ἀργυρό-τοξος, ἀγκυλό-τοξος, χαλκο-χίτων, ῥοδο-δάκτυλος, ἀκρό-κομος, σιτο-φάγος, ἴσο-φόρος, κακοεργός cet. Deinde primae declinationis themata continentur his: αἰθηρη-γενής, βοη-θός, βουλη-φόρος, γαιή-οχος, μυλή-φατος, πύλα-ωρός al.; tertiae themata vel in vocales ιυ desinentia: πτολί-πορθος, ἄστυ-βοώτης, βαθυ-λήμος, ὠκέ-ρροος alia, vel in consonam exeuntia: ἕως-φόρος, ἐγγέ-παλος, ὄρες-κῶος, τελεσ-φόρος, σακέ-παλος, πυρ-φόρος, μελάγ-χολος, μελάμ-πεπλος, παν-δόχος, πύγ-μαχος.

Sed non pauca vocabula ab hac regula videntur aliena esse. Nam et primae declinationis nomina multa in compositorum partibus prioribus vocalem thematis finalem α (vel η) mutant in ο, et secundae ο in η, et tertiae declinationis vel maior pars, quum componuntur, aut thematis exitum commutat cum ο vel η, aut themati integro



adiungit *o*, vel *i*. Hac ratione ficta sunt v. c. *ἀελλό-πους*, *ἴλο-τόμος* (*ἄελλα*, *ἔλλη*); *ἐλαφη-βόλος*, *θαλαμη-πόλος* (*ἔλαφος*, *θάλαμος*) et translato hoc *η* etiam in tertiae declinationis vocabula *θυη-γάγος*, *ξιφη-φόρος* (a thematibus *θυες*, *ξιφες*) al.; deinde *ἀνθο-νόμος*, *ἔλκο-ποιός*, *θυο-σκόος*, *ξιφο-κτόνος* (a thematibus *ἀνθες*, *ἔλκες*, *θυες*, *ξιφες*); *ἀνδρ-ό-κμητος*, *ἄρματ-ο-πηγός*, *δοιρ-ο-δόκη*, *ἦερ-ο-ειδής*, *πολι-ό-οχος* (*πολιοῦχος*), *δακρυ-ο-πετής* al.; denique *νυκτ-ί-πλαγκτος*, *πυρ-ι-ήκης*, *αἰγ-ί-βοτος*, *ἀλγες-ί-θυμος*, *ἐγγες-ί-μωρος*, *ὄρες-ί-τροφος* al.

Haec olim moverunt viros doctos, ut cogitarent de vocabulis quibusdam nominum compositorum propriis, quas conjunctivas, bindevocale, vel compositivas, compositionsvocale appellabant, coniungendorum nominum causa inventis. Haec erat Grimmii, Buttmanni, Boppii (Vgl. Gr. § 967.) sententia atque etiam in Kühneri grammatica nuper de novo edita eam deprehendi. Etiam Iustus, qui ad quaestionem de compositis conficiendam tantum attulerit, huic vocali compositivae adhuc satis amplum spatium concedit. Sed nuper Roedigerus accuratius in harum vocalium naturam inquirens tenebras illas, quibus adhuc earum origo obtecta erat, discutere coepit, maximamque earum partem plane alio quam illi existimaverant munere fungi ostendit, et post hunc novissimo tempore Herzogius et G. Meyerus ultra etiam progressi nullam omnino vocalem compositivam esse demonstrare conati sunt. Tamen non desunt, qui his refragentur, inter quos primo loco nominandus Guil. Clemmius, qui de compositis a verbali parte incipientibus accurate et copiose disputans, multum etiam nunc illis vocalibus compositivis tribuit. Iam quae videatur rei summa esse, ostendamus.

Qui illius vocalis compositivae causam susceperunt, eam sic definiunt<sup>1)</sup>, ut inter vocabula componenda consonantium durioris concursus evitandi causa vocalem aliquam insertam esse dicant. Sed hoc munere in paucis tantum pro rata parte vocabulis opus erat. Quae enim soni asperitas evi-

<sup>1)</sup> nam Grimmii sententia (D. Gr. II<sup>1</sup>, 410—426), qui hanc vocalem pro signo ipso et proprietate omnis genuinae compositionis habet, iam satis refutata est a Boppio (Vocalismus p. 132, Vgl. Gr. § 969), nec iam inveniet qui eam tueatur.

tanda erat in *μουσα-μήτωρ* vel *ὕλη-τόμος*, ut necesse esset *μουσομήτωρ* et *ὕλοτόμος* dicere? Quibus in vocabulis consonarum concursus omnino nullus fit, tamen inesse vocalem coniunctivam vel Clemmius (p. 128) affirmat. Sed etiam in illis compositis, quorum altera pars consonanti clauditur, altera incipit consonanti, rarius ea est consonarum natura, ut nulla vocali interposita difficiliore fuerint pronuntiata, praesertim quum Graecae linguae non tam delicatae fuerint, ut vel duriore consonantium concursu offenderentur, quumque non defuerint illis rationes consonis assimilandis soni asperitatem mitigandi. Romanis quidem certe multa, quae Graecis oribus et auribus usitatissima erant, initio durius sonuisse, intelligimus ex mutationibus, quas subire Graeca vocabula necesse erat, quum in Romanae linguae civitatem reciperentur, linguae vulgaris dico et vetustioris, priusquam didicerant Romani Graeca lingua tanquam altera quadam vernacula uti. Cuius generis sunt illa: *Hercules*, *mina*, *drachuma*, *techina*, al.

Graecos igitur a nimio mollitiei studio alienos fuisse constat, eosque nec in compositis consonantium congressum anxie vitasse discimus talibus: *ἐγγέε-παλος*, *ὄρεε-κῆος*, *τελεε-φόρος*, *πυρ-καία*, *πυρ-πολίω*, *μελάγ-κερωε*. Vides certe post themata in *ε ν ρ* vocali ad mitigandum concursum inserenda non opus fuisse. Nempe praecipue liquidarum et nasalium ea est natura, ut cum mutis vel sequentibus vel antecedentibus arctiore quodam vinculo colligentur, id quod in causa fuisse videtur, cur mutae cum liquida concursus non faceret positionem. Nam liquidae propter ipsam naturam mobilem et mollem facile ad alias consonas sese accommodant iisque arctius inhaerent, ut una enuntiarum sine ulla molestia possint. Quam ob rem mutas cum liquidis coniunctas saepissime deprehendas in vocabulis Graecis: quum vero *μπ μβ γκ γγ γχ ρτ ρδ*, *πρ κρ γρ χρ γμ χμ*, *πρ κρ* cet. in mediis vocibus simplicibus sine ulla difficultate pronuntiarentur, cur in commissura compositorum fuissent vitanda? Itaque non restat nisi duarum mutarum congressus, qui videri possit propter soni asperitatem vocalem coniunctivam sibi deprecere, quamquam etiam ex his una coniungendi ratio Graecis tolerabilior visa est, eam dico, qua dentalis post aliam mutam posita est, quum dicerent *κτᾶσθα*, *ἀκτῆ*, *λεπτῶε*,

ῥάβδος, alia id genus. Neque ceteras mutarum coniunctiones plane vitatas esse testimonio sunt v. c. λακπατεῖν a Pherecrate, λακπάτητος a Sophocle usurpata.

In longe maxima igitur parte eorum vocabulorum, quae vocalis compositivae ope ficta esse dicuntur, certe ad mitigandum consonarum concursum vocali interponenda opus non fuit. Et si fuisset, unde tandem putabimus tantam in commissura compositorum varietatem vocalium α ο η ι extitisse? Si omnibus illis vocibus eadem causa fuit vocalis interponendae, cur non in omnibus eadem vocalis adhibita est? Quid tandem causae fuit, cur voces primae declinationis saepissime reciperent ο, interdum ι (θαλασσίγονος), voces secundae η vel ι, voces tertiae vel ο vel η vel ι? Metri causa certe haec fieri non potuerunt, quum metro, si quid ad immutandas vocales valuit, nihil nisi aut productio aut correptio vocalis effici posset. Ab aurium autem voluptate et euphoniae praeceptis huius rei causam repeti non posse, ipse Clemmius, vocalis compositivae patronus imprimis studiosus, concedit (p. 130 sqq.).

Multo maioris autem momenti est, quod linguarum comparatione edocti sumus, a vocali pronuntiationis tantum commodioris causa inserenda abhorreere linguas adhuc pollentes ac vividas, idque non esse nisi divergentium ad senectutem. Linguarum enim eadem condicio est quae hominum, ut senescentes fiant inertiores et fugiant enuntiandi molestiam. Sed quo quaeque lingua est validior et iuvenilior, eo magis respuit hanc organorum inertiam. Quam ob rem, ut concedamus, posteriore tempore et adulta lingua — quanquam linguam Graecam omni tempore ab huiusmodi inertia alienam fuisse scimus — talia fieri potuisse, non poterant fieri priscis illis temporibus, quibus componendi leges, quae postea valuerunt, inventae sunt. Et adiumento est huic sententiae, quod etiam in aliis linguae commentis, in quibus vocalem coniungendi causa insertam veteris disciplinae grammatici putaverunt, plane diversa huius vocalis origo recentiorum grammaticorum ad cognatas linguas respicientium opera intellecta est, praecipue in verborum coniugatione, cuius vocalem illam coniunctivam nihil nisi thematis

exitum esse argute ostenderunt Schleicher Comp.<sup>2</sup> 750, Steinthal Typen p. 191, Curtius Chronol. 221 sqq.<sup>1)</sup>

Denique accedit gravissimum hoc, quod maxima horum compositorum pars aliam illius vōcalis originem aut manifesto redolet, aut certe non respuit. Quae quum accuratius explicanda sint, singulas vocales examinare necesse est.

### 1. De *o* vocali in commissura compositorum.

Ad explicandam *o* vocalem thematibus primae et tertiae declinationis aut ultro adiectam aut in genuinae terminationis locum suppositam mihi quidem maximi momenti videtur esse hoc, quod permagna omnium compositorum Graecorum pars a nominibus secundae declinationis incipit, ideoque legitime vocalem *o* in commissura habet. Apud Homerum ex 307 compositis 85 priore parte continent nomen secundae declinationis in *o* desinens, apud Pindarum ex 207 69, apud Aeschylum ex 349 109; cf. Herzog in Jahrb. f. Phil. u. Paed. 1871, p. 295 sqq., Unterters. über d. Bildungsgesch. d. Gr. u. Lat. p. 68. Iam quum homines tot vocabulorum compositorum priores partes viderent in *o* desinere, quam formam extra compositionis vinculum non nossent, facile fieri poterat, ut hoc *o* putarent omnis compositionis esse proprium, et etiam thematibus in consonam vel leviores *ι* et *υ* vocales desinentibus adiungerent *o*, in thematibus primae declinationis pro genuina *α* vocali, in thematibus *εξ* syllaba finitis pro *εξ* syllaba substituerent. Dicit quispiam: quid? tunc homines illos vocabulorum compositores, quorum in numero praestantissima Graeciae ingenia fuerunt, tam hebetes fuisse putas, ut eos fugeret, illas compositorum partes priores in *o* desinentes non petitas esse nisi a vocibus secundae declinationis, utque penitus inconsiderate pravam analogiam sequerentur? Non equidem. Sed primum vocabula hunc in modum ad falsae analogiae regulam composita illis iam praeis temporibus fingi coepta esse contendo, quibus etiamnunc aequaliora erant inter se ingenia necdum elucebant homines tam egregio animi acumine praediti, quales extitisse inde ab Ho-

<sup>1)</sup> Diversa est Boppii sententia Vgl. Gr. § 500.

meri temporibus scimus <sup>1)</sup>, ita ut poetae et scriptores Graeci, quorum nobis restant opera, iam a maioribus acceperint composita illum in modum prave conficta, eamque ob causam illius *o* naturam non iam possent facile intelligere.

Deinde illos praeceos vocabulorum compositores etiam aliud quid impulit, ut a recta via aberrarent. Bene enim Gustav Meyerus monuit, multorum nominum duo vel plura themata extare, eodemque tempore, quin etiam ab eisdem scriptoribus usurpari, ut eadem vox modo primam, modo secundam, aut modo primam vel secundam, modo tertiam sequatur declinationem: quarum vocum exempla permulta heteroclitorum, abundantium, metaplastorum nomine contulerunt Buttm. Ausf. Spr. § 56, Kühner Ausf. Gr.<sup>2</sup>I. 387 sqq. Itaque primum multorum vocabulorum stirpes extant et in *η* et in *ο* desinentes: *θάλαμο θάλαμη, λόφο λόφη, πέτρο πέτρη* alia (quae videas apud G. Meyerum p. 68); themata in *εσ* et in *ο* vel *η* ab eadem radice derivata: *αἶθεσ αἶθο, ἄνθεσ ἄνθη, βλάβεσ βλάβη, δένδρεσ δένδρο, θάμβεσ θάμβο* al. (Meyer p. 67); themata in *ματ, μαν (μὸν), μο, μη* alternantia: *βαδισμός βάδισματ, γνώμη γνῶματ, μνήμη μνήματ, φλέγματ φλεγμάν-τω φλεγμον-ή* cet. (p. 64). Themata in *κ* et *κο, κη*: *φύλακ φύλακο, ἄλκ ἀλκή, γλαύκ γλανκό, ἕλικ ἑλίκη, ἰώκ ἰωκη, οἶκ (οἶκαδε) οἶκο, πνύκ πυκνό* al. Themata in *γ* et *γη*: *ἄρπαγ ἄρπαγή, πύγ πυγή* al.; in *χ* et *χη, χο*: *πτύχ πτυχή, στίχ στίχο, ψίχ ψίχη*. Thematum labialium *γρόπ γροπό, ὄπ* et *ὄπή* (*θέραπ θεράπον* Buttm. p. 212); dentalium *δαίτ* et *δαίτη, κλάδ κλάδο, κνίδ κνίδη, κριθ κριθή*. Horum utra prius nata sint Meyerus se non esse diiudicaturum confirmat: certe multa iam a linguae initiis duplici stirpe usa esse, multa pridem vocali terminata deinde amisisse vocalem et transiisse in analogiam consonanti terminatorum (p. 69), alia, praecipue lingua iam adulta et senescente, quum antea

<sup>1)</sup> nam hoc fuisse illorum temporum, quibus nulla alia etiam tum erat poesis quam epica illa, quam nos „volkspoesie“ vocamus, proprium, in Graecia igitur temporis ante Homerum, ut tanta ingeniorum diversitas, quanta eruditore aetate nasci solet, non extaret, egregie demonstravit Steinthalus in disputatione „Ueber das volks-epos“, Zschr. f. Völkerps. X.

nonnisi consonanti finita fuissent, assumpsisse vocalem, stirpium vocali terminatarum analogiam secuta: id quod in aliis quoque linguis, Latina imprimis, factum sit. Quin etiam in singulis casibus hoc studium vocalium asciscendarum vicisse, praecipue in dativo et genitivo dualis, quorum terminationem *ων* secundae declinationi propriam arripuerint etiam vocabula tertiae declinationis omnia (p. 74). Etiam in dativo pluralis nonnunquam id factum esse; iam apud Homerum semel: *κοτυληδορόφιν*, saepe in inscriptionibus Delphicis (de quibus conferas Curtium in Ber. d. Sächs. Ges. d. W., phil. hist. cl. XVI, 223 f.): *ἐν ἀνδρόις τρίοις, ἐν ἐτέοις δεκατρίοις, ὄντοις, ἐόντοις* al.; sparsim in aliis quoque dialectis (p. 75, cf. Kühner p. 401). Addere poterat notissima illa Atticae dialecti propria: *Σωκράτην, Δημοσθένην* alia id gen., ad idem studium ut mihi videtur revocanda.

Iam quum in compositis saepe prioris membri vocalis finalis mutetur in *ο*, vel consona finalis sibi adiungat *ο*, hic quoque Meyerus sibi deprehendere videtur illam thematum varietatem, et in his compositis superesse confendit themata in *ο* desinentia, quae quondam sui iuris fuerint et in simplicibus quoque nominibus nobis non relictis sint usurpata. Ita p. 66 de stirpibus in *ματ* fusius se disputasse dicit „weil sich daran sehr schlagend zeigt, wie oft mehrfache nominalthemen, die durch anhängung verschiedener verwanter oder einst identischer suffixe entstanden sind, grade in zusammensetzungen sich zeigen, während sie in isolirtem gebrauche nicht mehr vorhanden sind“, et p. 77 sua non interesse ait „für jeden einzelnen fall die priorität des vocalischen oder consonantischen themas zu bestimmen, sondern überhaupt das nebeneinanderstehen der beiden zu constatiren.“ Itaque e. g. *τριχόβρωξ τριχο-ρρέω* a vocabulo quodam *τρίχοξ* secundae declinationis, olim iuxta *θρίξ* posteris solum relictum usurpato petita esse censet, eodemque modo *σαρξο-εδής, ριφοβόλος, γλακτο-γάγος, δαδο-γόρος, φρενο-βλαβής* ad voces abolitas *σαρξος* vel *σαρξη, ριφος, γλακτορ, δαδη, φρενος* vel similes quasdam revocat.

Sed haec affirmans ipse secum pugnat. Nam p. 70 de simplicibus nominibus duplici stirpe utentibus dicit haec: „Trotz-

dem wird man immer in derartigen fallen mit der annahme der priorität des vocalischen themas vorsichtig sein müssen. Denn nicht minder sicher als die neigung der sprachen vollere formen zu verkürzen . . . steht der hang der sprachen, der mit dem abwärtsgehen ihrer entwicklung immer mehr hervortritt, consonantisch auslautende stämme mit einem vocal zu erweitern und so ihren übergang in die vocalische declination herbeizuführen. Wir sind auch dieser erscheinung in grosser ausdehnung bereits oben (p. 41 sqq.) auf dem boden des lateinischen begegnet; auch für das griechische lässt sie sich mit bestimmtheit nachweisen. Was dort die i-declination war, ist hier die o-declination. Der grund dieser erscheinung liegt in einer im sprachbewusstsein sich allmählig herausbildenden analogie, die herbeigeführt war durch die überwiegende menge der vocalisch auslautenden nomina<sup>4</sup>. Rectissime haec quidem. Sed quid tandem impulit virum doctum, ut hanc libertatem analogiae falsae sequendae simplicibus tantum concederet, negaret compositis? Stirpes consonanti terminatae si in nominibus simplicibus analogiam stirpium legitime in vocalem desinentium prave sequentes assumpserunt vocalem, quidni in nominibus compositis idem facere potuerunt? Itaque, ut mihi videtur, non necesse est putare, stirpes vocali auctas in priore compositorum membro, priusquam ad componendum adhibitae sint, nominum simplicium munere functas esse, et ab his nominibus simplicibus demum composita esse propagata: mihi potius sic factum esse videtur, ut stirpes in consonam (vel *ι υ* vocales) desinentes, quoties ad composita fingenda adhibebantur, assumerent *ο* vocalem, secutae analogiam non tam simplicium vocali terminatorum quam compositorum a stirpibus legitime *ο* vocali terminatis incipientium, quorum tanta erat multitudo, ut omnium maxime viderentur esse legitima; qua de re supra iam dixi p. 10. Ut exemplo utar, *τριχό-βρως* mihi non a stirpe nescio qua *τριχο* petitum videtur, sed ab ipsa stirpe nota et usitata *τριχ*, quae tamen, ubi ad compositum fingendum adhibita est, ad analogiam compositorum *πυργο-δαίκτης, άνεμο-σκεπής, ώμο-γέρων* cet. mutata est et *ο* vocalem assumpsit. Idemque in ceteris id genus compositis paene omnibus factum esse puto.

Haec sententia et probabilis est neque ullam habet diffi-

cultatem. Contra ea explicatio, quam excogitavit G. Meyerus, neque necessaria est, quum nulla re cogamur, ut hac ipsa ratione rem factam esse credamus, et non mediocribus difficultatibus laborat.

Primum nomina simplicia illius generis, themate per vocalem *o* aucto utentia, qualia olim in usu fuisse et ad composita fingenda potissimum adhibita esse G. Meyerus existimat, pro permagna multitudine compositorum a stirpibus auctis incipientium paucissima tantum nobis sunt servata, ea scilicet, quae heteroclitā, abundantia, metaplasta appellata in grammaticis enumerari supra p. 11. commemoravi; longe maxima pars nisi in ipsis his compositis nullum sui vestigium reliquit. Et omnia quidem Graecae linguae vocabula paucis illis quae nobis supersunt poetarum et scriptorum operibus servata esse haud scio an prudens affirmaverit nemo. Sed, quae est compositorum natura, longe maxima pars cum omnium compositorum tum eorum, de quibus nunc quaeritur, ab ipsis illis scriptoribus ficta est, apud quos primos legitur, a Pindaro, Aeschylō, Sophocle et qui sequuntur, itaque nata est iis temporibus, quibus litterae Graecae iam floruerunt, et permulta opera cum versibus tum pedestri sermone scripta sunt, nobis quidem non servata, sed servata posteriori Graecitati, Alexandrinae in primis aetati. Atqui non probabile est, illos vocabulorum compositores ad composita fingenda studio quodam adhibito sibi conquisisse voces raras et abolitas, vel vulgaris tantum sermonis dialective alicuius proprias; hoc Alexandrinorum fuit, et priorum, quod sciamus, unus Antimachus fecit: ceteri bonae aetatis poetae interdum quidem vocabulis raris et conquisitis usi sunt, ut dignitatem et decus adderent orationi, praecipue Aeschylus et Pindarus, sed talia pro tota verborum adhibitorum copia admodum rara sunt, et longe maxima vocabulorum pars sumpta est ex communi hominum eruditorum sermone sive ionico, sive attico, sive aeolico, eius denique dialecti, qua quisque scriptor usus est. Iam si ad illa nomina composita fingenda, ut G. Meyerus censet, adhibita sunt nomina simplicia stirpe per vocalem amplificata utentia, haec nomina simplicia eo tempore, quo nata sunt illa composita, revera extitisse opus est. Nisi enim extitissent, unde tandem ea sumpsissent compositores? Si vero extiterunt, ex iis, quae modo



exposuimus, sequitur, maximam certe eorum partem non fuisse vocabula rara et abolita, sed erudito sermone usitata et omnium hominum litteratorum communia. Itaque tuo iure expectaveris, hos homines illis vocibus etsi non omnibus, tamen plerisque etiam in scribendo usos esse. Tamen nobis nullum vestigium restat, neque in eis operibus, quae nobis servata sunt, neque in posteriorum operibus grammaticis, lexicis, florilegiis, quibus alia multa et ea maxime, quae a vulgata posteriorum dictione aliena erant, ex operibus amissis sunt servata. Tantam autem vocabulorum multitudinem nullo plane vestigio relicto intercidisse probabile non est, et inprimis mirum est, grammaticos eorum mentionem nullam fecisse.

Itaque, etsi non nulla eius modi simplicia extitisse negari nequit, tamen omnia composita a stirpibus amplificatis incipientia a nominibus simplicibus eius generis petita esse, probabile non est.

Sed dicet quispiam: „non rectum est quod tu proposuisti: illa enim simplicia eo tempore, quo compositum quodlibet ab iis incipiens fictum est, etiam extitisse non necesse est, dummodo antea iam alia composita ab eodem simplici eadem forma incipientia extiterint.“ Recte ille quidem. Certe ubi primum forma aliqua ad componendum adhibita est, posterius eadem forma ad alia composita fingenda uti potuerunt, etiamsi ipsa nisi in illo composito non amplius extaret. Sed in usu fuisse, simplicisque munere revera functam esse ex Meyeri sententia unquamque stirpem amplificatam oportet eo tempore, quo primum omnino compositum ab ea incipiens fictum est. Atqui non probabile est, id quod supra demonstrasse mihi videor, illa simplicia lyricorum vel tragicorum tempore vel posteriore etiam adhuc extitisse: si enim tunc in usu fuissent, fieri vix potuit, ut nulla vestigia nobis relinquerentur. Quae igitur composita his temporibus primis inveniuntur a themate quodam amplificato incipientia antea i. e. apud Homerum vel Hesiodum non conspicuo, ea a simplice quodam nomine tum etiam usitato petita esse non veri est simile. Horum autem compositorum permagnus est numerus. Pindarus viginti septem id genus composita habet, quibus septendecim themata per *o* vocalem aucta vel in fine mutata insunt. Horum thematum octo tantum iam ab Homero usurpata sunt,

unum ab Hesiodo, octo apud Pindarum primum leguntur: *άνδριατο, άσπιδο, Έλληνο, λεοντο, οϊαχο, [όπιθο], όριχο, πολια*. Aeschylus in centum et octo eius generis compositis quinquaginta octo themata exhibet, quorum quatuordecim tantum iam apud Homerum: *άμο, άνδρο, άρματο, έλειο<sup>1)</sup>, θυη, κυνο, μελανο, μητρο, παιδο, πατο, πατρο, [πειτηχοτο?], ποδο, φοινηχο, unum χειρο* apud Hesiodum usurpatum est, triginta sex Aeschylus primus habet: *άματο (άματη), αινιγματο, άνθο, [άπριγδο], άρσενο, γελωτο, γυναιχο, δειματο, δελφινο, έλχο, έναρο, κρεισσο<sup>2)</sup>, κρεο, λαμπαδη, λαμπτηρο, Λητο<sup>3)</sup>, μελο, όμματο, όρο, πολιο, πολισσο, [προσθο], πυθο, σηματο, σκευο<sup>4)</sup>, στημο<sup>5)</sup>, σωματο, τριχο, ύδρο<sup>6)</sup>, φρενο, χαριτο, χειμωνο, χερο, χθονο, χιορο, χοηματο*. Sophocles in quadraginta septem compositis undetriginta themata habet, quorum novem iam apud Homerum: *άθηρο, άνδρο, θηρο, θνο, κυνο, μητρο, παιδο, πατο, πατρο*, tria apud Hesiodum: *γηρο, κυματο, χειρο*, septem nova: *άγωνο, αιδο, δρο, έρρηνο, ζευγο, κωδορο, νισο* (sed apud Homerum *νιφόει*). Herodoti triginta novem id genus composita sunt, quibus undetriginta themata continentur; apud Homerum iam sunt septem: *άνδρο, γαλακτο, μητρο, παιδο, πατο, πατρο, ποδα*, apud Hesiodum *χειρο*, nova tredecim: *άγαλματο, αίγο, άχθο, έπο, θωρηχο, ίχθυο, κνημιδο, κερκο, κυκτο, [όπισθο], σαρχο, τειχο, ψηφιδο*. Itaque si summam facimus, in horum quatuor scriptorum compositis viginti tantum themata eius generis, de quo

1) Hoc *έλειο* in *έλειοβάτης* haud scio an idem sit atque Homeri *έλειο* in *έλειόθρεπτος*. Nam hoc mihi videtur natum ex *έλεξ-ο-θρεπτος*, a themate *έλεξ* ductum et antiquioris fortasse componendi rationis testimonium; cuius originis nescius Aeschylus, *έλειο* pro adiectivo habens, in *έλειο* vocem mutavit.

2) (Sept. 765), nisi rectius cum Hermanno *κρηστοιέκτων* legendum.

3) tertiae declinationis voces in *ω* cum ceteris enumerare liceat, quamquam de vera earum stirpe nondum constat.

4) quod et a *σκεῦος, -ος*, et a *σκενή* petatum esse potest.

5) nisi *στημορραγέω* rectius e *στημον-ραγέω* natum putaveris.

6) In *Batrachomyomachia* quidem sunt *Υδρομέδονσα* et *Υδροχαρις*, quum vero de huius carminis aetate et integritate adhuc acerrime dissentiant viri docti, has voces in nostrum usum vertere non possumus.

nunc quaeritur, insunt, quae Homerus iam adhibuit: sexaginta quatuor, quae apud Homerum (et Hesiodum) nondum sunt. Apud ceteros scriptores, Euripidem, Aristophanem, Thucydidem, Demosthenem alios permulta alia exstare, quae Homeri nondum sunt, apparet. Ergo longe maxima omnium id genus compositorum pars a stirpibus sui iuris incipere non potest.

Restant igitur non nisi composita HomERICA et HESIODEA, quae a nominibus simplicibus stirpe amplificata utentibus petita esse possint. Et Homerus quidem triginta tria id genus themata in initio compositorum habet: ἄθηρη, αἶμο, ἄκμο (nisi ἀκμόθετον ex ἀκμον-θετον factum), ἄλιο, ἄλο, ἄνδρο, ἄρματο, γλακτο, δουρο, εἶρο, ἔλεο, ἔλιχο, ἦερο, θεμιστο, θηρο, θυο, κεραο, κλεο, κυμο, κυνο (κυνα), μελαο, μενο, μητρο, παιδο, παντο, πατρο, Πελοπο h., [πεντηχοιτο], ποδα, ὕδατο, ὄλαχο, φοινικο, χαρμο h. Hesiodus habet tredecim, quorum apud Homerum nondum sunt γηρο, γουνο, κυματο, νηλεο, χειρο. Haec igitur octo et triginta themata cum quadam verisimilitudinis specie dixeris sui iuris fuisse et nominum simplicium munere fungi potuisse. Quum vero posteriore tempore tot themata per analogiae vim ad vocalem assumendam permota esse viderimus, vix credi potest, Homeri aetate illam vim nullam fuisse: quin etiam, ut mihi videtur, per omne tempus fuit maxima. Sed utut id est, certiora de illo prisco aevo vix poterunt erui, quum desint testimonia. Potuisse illo tempore multa vocabula simplicia stirpe in *o* vel *a* vocalem desinenti uti, quae postea non sequuntur nisi tertiam declinationem, non nego; immo ingenue fateor et post Homerum quoque eius modi voces extare potuisse haud ita paucas, quarum nobis vestigium nullum relictum est, et in ipsis compositis multa servata esse, quae extra hos complexus iam diu erant abolita; ut in πολισσονόμος et πολισσοῦχος inesse thema πολισσο vocabuli simplicis quondam usitati πόλισσα vel πόλισσον persuasum habeo, et in λυκηγενής et Λυκαβηττός vocis abolitae λύκη vestigium servatum esse puto. Luculentissimum eius rei testimonium sunt composita a νιφο incipientia haud pauca, a Sophocle inde usitata, quum vocis simplicis νίψ non restet nisi νίφα in uno loco Hesiodico op. 533. Itaque Meyeri sententiam non omnino reiciio: sed omnia composita *o* vocalem in commissura as-

sumentia ut hoc modo explicanda censeam, tantum abest, ut parvam tantum eorum partem ita fictam esse contendam.

Praeter eas quas adhuc attuli, aliam etiam causam Meyerus ad sententiam suam comprobendam adhibuit. Nempe etiam in fine compositorum permulta themata in consonantem desinentia assumunt vocalem, ut *εὖ-άρματ-ο-ς*, *ἀ-χείματ-ο-ς*, *ἀρχι-αλ-ο-ς*, *ζῆ-πυρ-ο-ς* alia. Huius rei causam eandem esse putat atque vocalis *ο* in commissura assumptae; etiam in fine compositorum adhiberi eadem themata per vocalem aucta integra et sui iuris, quae in initio compositorum posita sint. „Alle die verschiedenen formen der in rede stehenden nomina erscheinen wie im ersten so im zweiten teile, und wie wir nicht umhin können, in dem *ο* von *βρις-άρματο* einen integrierenden bestandteil des zweiten wortstammes zu erkennen, eben so wenig dürfen wir es in *άρματο-πηγό* von *άρματ* losreissen und als phonetisch eingeschobenen hilfsvocal betrachten“ (p. 66). Ex his igitur compositorum partibus posterioribus permagnam opinionis suae petit auxilium. Attamen vehementer vereor, ne similitudine formae deceptus, quid inter utrumque intersit, non animadverterit. Primum hoc eius sententiae refragatur, quod, quantum nunc video, apud posteros haec stirpium vocali amplificandarum ratio in dies magis usu recipiebatur, illo tempore, quo has stirpes sui iuris esse non potuisse supra demonstratum est. Itaque -v. c. stirpium tenui dentali finitarum (praeter eas in *ματ*) apud Homerum duo tantum exitum mutant, *πεῖρατ*: *ἀ-πειρέσ-ιος*, *ἀ-πέριων*, *πολυ-πέριων*, et *κίρητ*: *ἀμφι-καρής*, -ες (ρ 231 in loco desperato): multo plures mutatas invenias apud Aeschylum: *ἀπ-έρωτ-ος*, *ἀ-θέμιστ-ος*, *ἄ-δαιτ-ος*, *λαγο-δαίτ-ης* (?), *ἀ-γάλακτ-ος*, *ἄωρό-ρυκτ-ος*, *ἀ-πέριων*, *ἀ-πέρατ-ος*. Quid quod stirpes in *ματ* desinentes apud Homerum in fine compositorum nunquam sibi adiungunt *ο* — in hymno 7, 1 uno legitur vocativus *βρίζαρματι* —, sed semper mutant *ματ* in *μοι* vel *μο*: saepissime autem voces in *ματ-ος* finxerunt posterius: Pindarus *ἀρισθάρματος*, *εὖάρματος*, *χαλκάρματος*, *χουζάρματος*, *ὄμφάρματος*, *σιλάρματος*, Aeschylus *ἀνείματος*, *φιλαίματος*, *ἀποχορήματος*, *ἀχόρηματος*, *ἀχείματος*, *τρισόματος*, *μοιόμματος*, *δυζόμματος*? Mirum deinde hoc, quod apud Homerum in *μοι* non exeunt nisi quibus antecedit syllaba vo-

calem longam continens: (*ἀν-*, *ἀνδρ-*, *εὐ-*) *αιμον*, (*ἀν-*, *κακο-*) *ειμον*, (*ἀ-*) *ροημον*, (*ἀ-*, *πολυ-*) *κτημον*, (*ἀ-*, *πολυ-*) *πημον*, (*πολυ-*) *παμον*, (*φιλο-*) *παιμον*; in *μο* nisi quibus antecedit vocalis brevis: (*ἀν-*, *δυσ-*, *ἐπ-*, *Κλυς-*, *ν-*, *ὄμ-*, *πολυ-*) *ωνυμο*, (*ψαλιδο-*) *στομο* B., (*ἀ-*) *σπερμο*, excepto uno (*ἀρι-*) *σημο*, quod haud scio an a *σημαίνω* potius repetitum sit.<sup>1)</sup> Itaque ad hanc vel illam stirpis terminationem praeferendam multum videtur attulisse euphoniae cura. Denique illam stirpis mutationem non factam esse videmus, nisi in compositis adiectivis<sup>2)</sup> substantivum parte posteriore continentibus, in quibus significatione posterioris membri mutata non sine causa videtur etiam terminatio mutata esse. Et ea quidem re ipsa inesse mihi videtur aptissima omnis huius mutationis explicatio. Substantiva enim illa in fine compositorum adhibita quum totius compositi notionem adiectivam terminatione significare deberent, saepe necesse erat, pro genuina terminatione substituere terminationem adiectivalem, saepe non necesse quidem, attamen gratum et acceptum ad novum vocabulorum genus notandum. Eamque mutationem pro rei natura minime perpassae sunt eae stirpes quae stirpibus adiectivorum vel participiorum aut plane parem aut similem exitum habent, id est stirpes nasales et dentales. Praesertim stirpes in *ντ* desinentes in priore quidem compositorum parte saepe assumunt *ο*, cuius rei exempla videas apud Meyerum p. 81; in posteriore nunquam, certe neque Meyerus talium compositorum quidquam affert, neque ego ullum inveni. Hoc mihi videtur sententiae meae optimum esse argumentum. Itaque mutationis causam existimo positam esse in hominum studio, composita adiectivorum significatione utentia etiam forma adiectivis quam simillima faciendi. De hac re plane consentio cum Iustio, qui eam accuratius tractavit p. 50. 51.

<sup>1)</sup> Nam talia compositorum membra posteriora etiam a verbis derivatis propagata esse, in dissertatione de posteriore compositorum parte alio quodam tempore edenda uberius demonstrabo.

<sup>2)</sup> Pauca enim quae sunt eius generis substantiva initio adiectiva fuisse apparet, ut *στενωπός* proprie est, quod angustum aditum habet; itaque priore tempore dicebatur *στενωπός ὀδός* vel *τόπος*, et deinde omisso *ὀδός* solum *στενωπός*.

De hac igitur Meyeri sententia plane idem sentio, quod de illa: non nullorum vocabulorum compositorum partes posteriores a nominibus simplicibus stirpe amplificata utentibus petitas esse probabile est, sed quatenus illa simplicia fuerint, nescimus. Errare autem Meyerus videtur, quae in singulis facta sunt ea in omnibus facta esse existimans. Hoc enim disputatione mea effectum esse mihi videtur, exiguam tantum partem thematum in consonantem desinentium illum in modum *o* adiecto mutatam esse ita, ut nova nomina simplicia existerent; longe maiorem igitur eorum compositorum partem, quae stirpi in consonantem desinenti *o* adiungunt vel pro genuina terminatione *o* supponunt, plane alia ratione natam esse atque Meyerus censet. Nihil autem obstat, quominus in his *o* falsae analogiae sequendae studio illatum putemus, eamque sententiam per se admodum probabilem esse, supra demonstravi.

Itaque duabus causis, ut saepe, idem effectum esse videtur. Denique accedit tertium. Vidimus supra (p.8) Graecis consonantium concursum non ita molestum fuisse, nisi duarum mutarum. Atqui eorum compositorum, de quibus nunc quaeritur, magna pars eius modi est, ut thema priore loco positum in mutam desinat, thema posteriore loco positum incipiat a muta. Eius generis sunt apud Homerum *αἴμο-θόροντος* (pro *αἵματ*), *ἄρματ-ο-πιηγός*, *γλακτ-ο-γάγος*, *ἔλικ-ο-βλέφαρος*, *θεμιστ-ο-πόλος*, *παιδ-ο-φόρος*, *παρτ-ο-δαπός*, *ἔδατ-ο-τριφής*, *γοιριζ-ο-πίρηος*. In his igitur vocibus *ο* interiectum esse videtur, ut pronuntiationis molestia vitaretur. Hinc profectus, totius formationis originem hanc fere fuisse existimo:

Primo initio Graecae quoque linguae eandem legem fuisse atque Sanscritae, ut in componendo non adhiberetur nisi stirps mera, probabile est. Quum vero complurium vocabulorum bina themata essent, alterum in consonantem, alterum in vocalem desinens, ante vocalem illud, ante consonantem hoc adhibebatur. Itaque eiusdem vocabuli modo haec modo illa forma in compositis erat conspicua. Iam quum permagna compositorum pars a stirpibus in *ο* (illo tempore etiamtum *α*) desinentibus inciperet, quumque non nullorum vocabulorum themata modo in *ο* modo in aliam vocalem vel consonantem desinerent, cetera themata consonanti finita illorum analogiam in initio composito-

rum sequi coeperunt, et fortasse in iis compositis et primo et maxime, quorum prius membrum in mutam desiit, posterius a muta incepit. Deinde haec analogia traducta est etiam in alia composita, eaque componendi ratio tam adamata est, ut posteriore tempore cuilibet stirpi in consonantem desinenti in compositis *o* vocalis adiceretur.

Sed praeter has aliae etiam sunt causae *o* vocalis in nominum compositorum commissura frequentissime adhibitae.

Primum ad stirpes in *o* desinentes pro stirpibus in *ε* desinentibus substituendas etiam hoc magnopere impulsisse puto, quod utrorumque nominum nominativus singularis *ο* syllaba terminatur; quod quanti momenti fuerit, testimonio est grammaticorum Graecorum exemplum, qui quum de compositione loquuntur, secundae et tertiae declinationis substantiva in *ο* plane non discernunt, cf. quae Etymologicum Magnum habet s. v. *Θω̄* (ap. Lob. ad. Phryn. p. 647): *Τὰ εἰς ὄσ ὀπταχῶς συντίθεται ἢ γὰρ φυλάσσει τὸ σ, ὡς λαός, λαοσσόος, θεός, θεόςδοτος· ἢ ἀποβάλλει τὸ σ, ὡς τὸ ῥίκος, Νικόλαος, ἢ ἀποβάλλει τὸ σ καὶ προσλαμβάνει τὸ ι, ὡς τὸ Πόλος, πωλουγενής, ὁδοίπορος· ἢ ἀποβάλλει τὸ σ καὶ τρέπει τὸ ο εἰς η, ἔλαφηβόλος, θεητόκος· ἢ ἀποβάλλει τὸ σ καὶ τρέπει τὸ ο εἰς ε, μένος, Μενέλαος et q. sq. Quod si ne grammatici quidem fecerunt, quid factum esse putabimus a priscis hominibus, qui grammatices nullam omnino haberent notionem? Neque alia causa videntur effecti accusativi illi *Σωκράτην, Δημοσθένην*, quam quod nominativi *Σωκράτης, Δημοσθένης* eandem terminationem habent ac permulta primae declinationis substantiva, ut *πολίτης, Ὀρέστης, Ἀτρείδης* al.*

Deinde quod saepe nomina primae declinationis, quum componuntur, pro *a* vel *η* thematico substituunt *ο*, id mihi quidem non tam analogiae vi factum esse videtur (quae est Roedigeri sententia p. 21), quam harum vocum natura ipsa effectum. Nam et in lingua Gothica stirpium femininarum *ô* (= scr. *â*, gr. *η*) finale, quum componuntur, corripitur in *a*: *môta-stadi (môtô), hveila-hvairb (hveilô), quina-kunda (quinôn)* (cf. Iusti p. 51; Leo Meyer, Die Goth. Sprache p. 466), et in slavica vetere idem fieri auctor est Iustus p. 38 fin., et in lingua sanscrita certis quibusdam condicionibus (quas videas

apud Iustum p. 34) in prioribus compositorum partibus pro femina stirpe ponitur masculina. Quae quum ita sint, stirpium femininarum (quae initio a masculinis non differebant, nisi vocalis finalis productione) vocalem longam in compositorum parte priore correptam esse iam indogermanico quod vocant aevo veri simile est, vel, ut aliis nominibus utamur, pro stirpe femina semper substitutam esse eiusdem vocis stirpem masculinam: nam ea est femininorum natura, ut semper a masculino quodam sint derivata adiecto suffixo feminali (femina stirpium in *a* desinentium suffixo *a*, quod cum *a* thematico coaluit in *â* gr. *η*). Eandem igitur legem etiam in Graeca lingua a primis inde incunabulis valuisse consentaneum est. Itaque femininorum primae declinationis vocalis thematica  $\bar{a}$  correpta est in  $\check{a}$ , eo scilicet tempore, quo etiam secundae declinationis stirpes adhuc in  $\check{a}$  vocalem desinebant; et ut horum  $\check{a}$  paulatim mutatum est in *o*, sic etiam in illis factum est, eadem linguae lege phonetica, neque ulla analogiae vi (Roediger l. l.). Alia quaedam femina retinuerunt  $\bar{a}$  longum, postea mutatum in *η*, quorum Homericæ hæc sunt: *βοηθός*, *βουλιγός*, *γαιήχο*, *μυλήσατο* et haud scio an *αἰθηρηγής*. Eiusque varietatis causa fortasse videri possit hæc, quod Graeci eodem atque Indi modo non corripuerint vocales thematicas, nisi revera extaret stirps masculina quam possent substituere. Sed res valde dubia est et accuratius eget quaestione, quae a nostro consilio nunc abest.

## 2. De *a* vocali in commissura compositorum.

Neque minus difficile videtur intellectu, quae sit causa, cur nonnulla vocabula et primae et secundae declinationis in initio compositorum retinuerint *a* non mutatum in *o*; sed extant tamen eiusmodi vocabula, quae collegit Roediger p. 21: *Ἀλαθός*, *Ἀλαμείνης*, *Θεαγένης*, *Λυκάβας*, *Λυκαβηττός*, *πυλαωρός*, quibus adicienda etiam *νεῖγηνής*<sup>1)</sup>, *Πολεμυγένης*, *Τιμαγένης*, deinde apud Platonem *καλάπων*, Xenophontea *δολιχαδρόμος* *μακροδρόμος* et quod in lapidibus scriptum est

<sup>1)</sup> Eurip. Iph. Aul. 1623: *τόνδε μύσχοιν νεαγηνή*: tentatum a criticis: Herm. con. *νεογηνή*, Porsonius *εὐγηνή*; Roediger p. 22. 25 corruptum putat ex *νεηγηνής*.



στάδιαδρομος, denique haud scio an Homerica ἀκαλαρρεΐτης et καλαῖροψ (pro καλα-τροψ; Curt. Et.<sup>2</sup> 314). Itaque α servatum est maxime in nominibus propriis, in quibus formas vetustissimas saepe multo diutius servari quam in aliis vocibus notum est, deinde in quibusdam vocabulis perantiquis: λυκάβας a substantivo abolito λύκη petito, et ἀκαλαρρεΐτης ac καλαῖροψ, dubiae originis vocibus, quarum altera continere videtur adiectivum ἀκαλός abolitum (ἀκαλόν ἦσυχον, πρῶτον, μαλακόν Hesyeh.: sed in versu quem affert Arist. Byz. s. v. Παρθένιος: ὡς ἀκαλὰ προρέων ὡς ἄβρῆ παρθενος εἶδον voces ἀκαλὰ προρέων non videntur nisi ex Homeri ἀκαλαρρεΐτης ipso derivatae), altera nondum satis perspecta est: mihi nec Curtii (Et. 314), qui a καλός funis repetit, nec Doederleini interpretatio, qui ad καλαός adiectivum nescio quod abolitum revocat, probabilis videtur; potius κᾶλον quod in καλάπορος est, etiam voce καλαῖροψ contineri putem, α vocali correpta.

In his igitur vocibus servata est antiqua vocalis thematicae forma α. Et eandem naturam esse puto α vocalis in vocibus ποδά-ριπτρον, κενά-μνια, σινά-μορος, quam idem esse censeo atque ο in κενοραϊστής vel κενοθρασύς. Quum enim viderimus, illam vocalem compositivam ο nihil esse nisi vocalem finalem thematum secundae declinationis aliis thematibus substitutorum, consentaneum est, hanc vocalem, quo tempore stirpes secundae declinationis adhuc in α desinebant, ipsam quoque fuisse α, et quum illud legitimarum secundae declinationis stirpium α paulatim mutatum est in ο, etiam hoc quasi subdificium eandem mutationem esse perpeßum. Itaque causa non est, cur cum Roedigero voces κένη et σίνη quondam extitisse putemus. Quod autem Gust. Meyer dicit, hoc α esse „eine mittelstufe zwischen η und ο, wie in Ἀλκαθός, Ἀλκαμένης, λυκάβας, Λυκαβητόν, πηλαωρός“, id equidem me plane non intelligere fateor.

### 3. De η vocali in commissura compositorum.

Iam vero videamus, quomodo explicandum sit illud η, quod saepius in fine priorum membrorum secundae vel tertiae declinationis themata continentium conspicitur.

Atque primum quidem haec composita eorum, quae a vocabulis primae declinationis incipiunt, analogiam secuta esse, Herzogio (Jahrb. f. Ph. 1870, p. 296) concedere nullo modo possum. Exemplis enim ab ipso Herzogio collectis intelligimus, hoc  $\eta$  vel saepius in fine stirpium secundae et tertiae quam primae declinationis adhibitum esse, et illarum vocum, ad quarum analogiam ceteras fictas esse vir doctissimus censet, numerum apud Homerum quidem haud ita magnum esse: ad falsam autem analogiam sequendam homines pellici non possunt nisi permagna multitudine exemplorum, quae ad se trahant quodam modo cetera.

Nec Gustavo Meyero (p. 68) Roedigerove (p. 24) omnino assentiri possum, qui secundae declinationis voces femininas pristino tempore primam declinationem secutas esse censent, quia in multis adiectivis, quae postero tempore propriam feminini formam non habuerunt, apud Homerum etiam nunc tria genera discernantur. Nam adiectivorum motio omnino, et apud poetas praecipue, admodum varia et inconstans est, et nominum femininorum secundae declinationis singulos casus ad primae declinationis analogiam etiam posteris temporibus fictos esse constat, ut genitivos  $\eta\theta\acute{\iota}\omega\sigma$ ,  $\psi\eta\theta\acute{\iota}\omega\sigma$ , de quibus videas quae egregie disputat Buttmannus Ausf. Gr. § 35, anm. 9, 2, § 56, anm. 6. Denique illa Roedigeri Meyerique sententia pugnat cum illo supra memorato more femininorum primae declinationis, ut in secundae formationem abeant. Quamquam non omnino nego, in uno alteroque horum compositorum servatam esse vetustiore et primitivam formam, praesertim quum multa vocabula postero quoque tempore et primam et secundam declinationem sequantur, velut  $\beta\iota\omicron\tau\acute{\eta}$  et  $\beta\iota\omicron\tau\omicron\varsigma$ .  $\delta\rho\epsilon\pi\acute{\alpha}\nu\eta$  et  $\delta\rho\epsilon\pi\acute{\alpha}\nu\omicron\varsigma$ ,  $\acute{\epsilon}\sigma\pi\acute{\epsilon}\rho\alpha$  et  $\acute{\epsilon}\sigma\pi\epsilon\rho\omicron\varsigma$ .  $\kappa\omicron\iota\tau\eta$  et  $\kappa\omicron\iota\tau\omicron\varsigma$ .  $\pi\omicron\delta\acute{\eta}$  et  $\pi\omicron\delta\theta\omicron\varsigma$ ,  $\theta\omicron\rho\acute{\eta}$  et  $\theta\omicron\rho\omicron\varsigma$  et multa alia id genus, collecta a Kühnero, Ausf. Gr. I, p. 387 sq. Tamen hoc rem non expedit, praesertim quum non quadret in  $\eta$  illud stirpibus tertiae declinationis adiectum, ut  $\acute{\alpha}\sigma\pi\iota\delta\eta\theta\acute{\omicron}\rho\omicron\varsigma$ ,  $\sigma\tau\alpha\chi\upsilon\eta\tau\acute{\omicron}\mu\omicron\varsigma$  al.

Iam speciose Roedigerus p. 29 in multis horum vocabulorum inesse putat praepositionem  $\eta$ , sanser.  $\dot{\eta}$ <sup>1)</sup> „cuius

<sup>1)</sup> In similem opinionem incidit Boeckhiius, qui  $\eta$  illud in  $\acute{\epsilon}\pi\eta$

praepositionis satis lato ambitu circumscripta est notio, quum generaliter et motum ad aliquem terminum tendentem significet et ab aliquo proficiscentem“ (Roed. l. l.), id quod, etsi stricte demonstrari nequit, eam ob causam non absonum videtur, quod illud *η* ante certa quaedam verba imprimis saepe occurrere solet, ita ut cum his arctius cohaerere videatur, in amplo scilicet numero eorum compositorum, quae desinunt in *-ηβόλος*, *-ηγερής*, *-ηγερέτης*, *-ητόμος*, *-ητόκος* et maxime omnium *-ησόρος*; neque horum verborum significatio illi opinioni repugnat. Ante alia autem multa verba apud scriptores quidem vetustiores nunquam ponitur. Itaque dicitur quidem *καλαθηφόρος*, *ἐλαφηβόλος*, *στεφανηφόρος*, sed *καλαθοποιός*, *ἐλαφοκτόνος*, *στεφανοπόλης*. Sed scite idem Røedigerus monet p. 36, „Graecos, ab omni suspitione de vera huius *η* in commissura compositorum natura alienos, in horum compositorum formatione ad maximam partem non satis explicatae analogiae vestigia secutos esse“. Cuius rei certissimum testimonium est maxima eius usus inconstantia, quum in eodem vocabulo, utut animus erat, *η* vel *ο* promiscue ponerent (cf. Lobeckium ad Phr. p. 651 sqq.), ut *θανατηφόρος* et *θανατοφόρος* (Aesch. Ag. 1187), *ψηγηγορεῖν* et *ψησογορεῖν* al.

Sed accedit alia res, quae mihi quidam maximi momenti fuisse videtur, quod multa horum *η* debentur metri necessitati poetarumque nec non prosaicorum studio distinguendi sermonis<sup>1)</sup>. Quod vellem ne minoris fecissent recentiores qui de his compositis disputaverunt. Mihi ea de re magnopere arrident, quae censet Lobeckius, qui in Parergis ad Phr. p. 650 Apollonii loco ea de re allato: „Haec exempla, inquit, manifestum faciunt primum hoc, quod per se incurrit oculis, veteres in hoc toto genere nihil ultra quaesivisse, quam ut ingratum brevium syllabarum concursum effugerent; deinde illud docent, hanc artificialem rationem non tam metri caussa inventam, sed a natura ipsa inchoatam esse, orationem

*βολος*, *κατηβολή*, *ἐλαφηβόλος* antiqui verbi *ἐβάλλω* (cf. *ἄβολος*, *ἀβόλεϊν*) residuum esse statuit ad Min. p. 149.

<sup>1)</sup> quae sententia etiam est (urtili, Erläut. zu meiner Schulgr.<sup>2</sup> p. 144, et Berchii „Ueber die Composition der Nomina bei Homer“ progr. Kiel 1866, p. 4 sq.

ita modulante, ut longa cum brevibus temperaret“: et quae ibid. p. 634 ait: „Namque eadem musica ratio, quae poetas ad haec quaerenda exilitatis remedia impulit, similiter omnem priscum sermonem pervagata est, qui quam modulatus quamque poeticae licentiae similis fuerit, loquuntur nomina deorum, sollemnitatum, hominum propria, ab ima vetustate tracta, diuque ante poesin nata“. Quae quam vere dicta sint, docent exempla a Roedigero p. 25 sq. collecta. Quorum longe maior pars praeter hoc *η* — si syllabae finalis terminationem casualem continentis rationem, ut par est, non habemus — non habet nisi breves syllabas (et sunt omnia haec vocabula aut quadrisyllaba aut quinesyllaba)<sup>1)</sup>: Πυλιγγενής, ρειγγενής, Πολεμηδόκος, ὀλιγηπελέω, ὀλιγηπελίη, θειπολέω, ρεήσματος, θανατηφόρος, ἐναρηφόρος, ζυγηφόρος, χλωμυδηφόρος et doricae dialecti haec, quae veterem formam *ā* servaverunt: ροθαγγενής Eurip., πολεμᾶδόκος Pind., [διδυμᾶτόκος Callim. Theocr.]. Praecedente una longa et una brevi syllaba, sequentibus brevibus apud bonos scriptores non sunt nisi haec: θεσφατιλόκος, ἀσπιδηστρόκος, αἵματηφόρος, ἀσπιδηφόρος, δαμπαδηφόρος, quae omnia apud Aeschylum primum leguntur in iambicis scilicet versibus, itaque iambico rythmo videntur accomodata. Syllaba longa ante *η* non est nisi in duabus his vocibus: πρηγόρος Hom. γλωκηπόρος Emped. Quid igitur? Viginti compositorum eum in modum formatorum duo tantum, si in syllaba articulari *η* non adhibitum esset, brevium syllabarum coacervatione ingratum sonum non fuissent datura. Et cur syllabam finalem prioris membri produci potuisse negemus, quum primam posterioris membri vocalem in tot compositis productam esse constet? Eodem modo prioris membri vocalis finalis producta est etiam in Αειώχοτος Hom. P 344, β 442, χ 294. Etiam in lingua sanscritica vocales prioris membri finales nonnunquam produci auctor est Iustus p. 36.

Quod autem quidam offendunt in vocali *η*, cum *ο* productum fieri debeat *ω*, id quidem facili opera expediti potest, si

<sup>1)</sup> exempla non affero nisi scriptorum ante Alexandrum, et illa quoque hoc loco omitto, quorum prior pars est particula indeclinabilis, ut ἐπήβολος, ἐκατηβέλετης, ὑπερήφανος cet. quorum aliam puto esse explicationem.

huius vocalis finalis productionem illo iam tempore inchoatam putamus, quo secundae declinationis themata adhuc in *a* desinebant, ut prior illius *η* forma fuerit *a* longum. Cuius *a* Curtius vestigia putat servata in *Πολεμᾶδόκος* Pind. Pyth. 10, 22, *ροθᾶγενής* Eur. *διδυμᾶτόκος* Theoc., sed haec sunt Doricae dialecti. Rectiusne idem de *Πολεμαγενής* Aeschin., *δολιχαδρόμος*, *μακραδρόμος* Xen. affirmari possit, an pro *Πολεμογενής* cet. dicta sint, dubito, quum in prosa oratione quantitatem *τοῦ α* quis perspiciat? Illam vero vocalis thematicae productionem a poetis inprimis cupide arreptam esse non est quod miremur: qui quantum sibi in producendis syllabis permiserint, videas apud Matthiaeum Gr. Gr. p. 70, § 19, c., Kühnerum Ausf. Gr. I, p. 137. Neque tamen talia singulorum quorundam poetarum audacia facta sunt, sed diutino usu poetico per tota illa saecula ante Homerum, quibus epica qualiscunque poesis viguit, paulatim recepta et fixa, eamque ob causam facilius etiam in pedestrem et quotidianum sermonem translata, qui quantopere ex poesi praecipue epica penderit, quamque ex illa succum et colorem traxerit, notissimum est. Neque singulis verbis haec libertas tanquam privilegium erat concessa, sed in his illis vocabulis adhibebatur, utnt necesse vel gratum erat, adeo ut vel idem vocabulum compositum ad arbitrium fingentis vel *ο* vel *η* in commissura haberet, plane eadem ratione, qua in aliis quoque vocabulorum syllabis mox brevis mox longa vocalis adhibebatur: *ἀεικέλιος* et *ἀεκήλιος*, *ἀπεριέσιος* et *ἀπειρέσιος*, *ἐννοσίγαιος* et *ἐνοσίχθων*, *ἐπημοιβός* et *ἐπαμοίβιος*, *αἰδηλος* Homeri, *αἰδέιλος* Hesiodi: et vel in eodem versu eadem vox diversa utitur quantitate: Hes. op. 490: *οὔτω κ' ὄψαρότης πρωτηρότη ἰσοφαρίζοι*.

Iam quum in commissura vocabulorum compositorum etiam alterum illud *η* exstaret (quod praepositionem esse supra p. 25 vidimus), paulatim duorum *η* natura non iam bene perspiciebatur, originisque memoria evanuit. Ita translatum est *η* etiam in stirpes tertiae declinationis. Sed id quidem posteriore tempore factum est, nam apud Homerum eius modi composita nondum inveniuntur; Aeschyli sunt *ἄσπιδηφόρος* *αἰμητιφόρος*, *λαμπιδηφόρος*, quorum *η* praepositio esse et ad posterius membrum pertinere videtur, et *ἄσπιδηστρόφος*; Theo-

criti *χλαμυδηφόρος*, cetera recentiorum, quorum commenta diiudicare, quum nonnisi analogiam parum perspectam secuti sint, vix videtur operae pretium esse.

Restant ea quorum prior pars est particula indeclinabilis, *ἐπήβολος*, *κατηβολή*, *κατηβελέτης*, *ἐκατήβολος*, *ἐπιβόλος*, *ἐπιγενής*, *ἀπιλεγέως*, *δυσηλεγής*, *ὑπερηφανέω*, *ὑπερήφανος*, *-ής*; variis modis explicanda. Quae quominus cum Herzogio simpliciter analogiam eorum quae modo tractavimus secuta esse putemus, prohibemur eo, quod illorum apud Homerum multo minor est numerus quam horum ipsorum ab indeclinabilibus incipientium, quorum multa nisi apud Homerum omnino non inveniuntur, et quod neque tertiae declinationis stirpes apud Homerum iam illam analogiam secutae sunt. Et de productione metri causa facta cogitari nequit, nisi in *κατηβολή* et *ἀπιλεγέως* (quum praepositionis *ἀπό* vetustior forma fuerit *ἀπί*, cf. ser. *απά*), sed in praepositionibus haud scio an productio vocalis finalis non videatur permessa esse. Rectius fortasse illud *κατη* et *ἀπι* pro instrumentalibus haberis, quum instrumentalis in lingua indica vetere habeat terminationem *â*, et in Graeca lingua aliae quoque particulae in *η* et *α* desinentes proprie casus instrumentales fuisse videntur, qua de re cf. Kühnerum in *Ausf. Gr. I*, p. 278 *9* ann. 8, ut *διαί*, *ἀπαί* (Curtius *Etym.*<sup>2</sup>, 242), *καταί* *ὑπαί* locativi sunt (Kühner. *Gr. I*, 727 *η*), et omnia paene adverbialia, ideoque etiam praepositiones, nil nisi casus nominum abolitorum esse constat (Kühner *I*, § 336). Probabiliter Curtius (*Et.*<sup>2</sup> 261) in *ὑπερηφανος*, *-ής*, *ὑπερηφανέω* inesse docet stirpem adiectivam *ὑπερο* producta vocali finali: quas voces a *ἄγρος* derivari non posse (ut voluit Doederleinus *Hom. Gl.* 2192) bene demonstravit Roedigerus p. 27. — *Ἐπιητανός* recte videtur Curtius *Et.*<sup>2</sup> 346 referre ad *αἶν*, *αἶς*, *αἶ*, quia illis, qui vocem ab *ἔτος* derivatam esse censent, repugnat significatio. — De ceteris maxime placet Roedigeri sententia, *η* esse praepositionem, quae respondeat sanscrito *â*. De *ἀπιλεγέως* dubius sum, utrum hanc praeferam explicationem, an illam, quam modo ipse protuli: certe ab *ἀλέγω* derivatum esse nullo modo potest, quum apud Homerum semper significet *ἀπολελεγμένως*, *ἀποφατικῶς*, non *ἀφροντίστως*, cf. Lobeck. *Path. I*, 434.

Itaque non displicet Roedigeri sententia „in illo adverbio agnoscendam esse stirpem verbi λέγω, loqui, praepositionibus ἀπό et ἦ (ἄ) iunctam; quod autem ad significationem compositi „frei herausprechend“, conferendum ἀπόφημι apud Hom. *H* 362, 1422.“ Sed eadem vocis significatio esset etiam ἄ praepositione non adiecta, siquidem ἀπη, ut supra suspicatus sum, = ἀπὸ est; id quod ipso ἀπόφημι comprobatur. — Etiam δυσσηλεγγής epitheton mortis non invenuste interpretatur Roediger „detestatus, δύσφημος, δυσώνυμος“. Cetera num recte ab illo disputata sint, diiudicare nolo, tamen ex tanta sententiarum varietate mihi videntur veri simillima. Etiam hoc loco, ut saepe, optimum erit dicere: non liquet, nec erubesco me nescire, quae Lobeckius et Curtius iniudicata reliquerunt (Lob. Phryn. 698 sqq., Path. 434 sq., Curt. Erl. p. 144).

Posteriorum temporum pauca huius generis sunt nova commenta, ad analogiam veterum composita: δυσηβόλος, δπερηφερής, εὐηπελής. Εὐηπελής luculentum est exemplum, quam inconsiderate ac paene dicam stulte posteriores secuti sint maiorum analogiam, fictum est enim ad similitudinem duarum vocum plane diversa ratione formatarum, εὐ-ηγενής, quod est „bene in lucem (ἦ, hervor) editus“, et ὀλιγηπελής, quod ab ὀλιγο producta vocali thematica est derivatum et bene explicatum a Roedigero p. 33, „paululum modo se movens, vix vivus“.

Cetera propediem edentur.



## V I T A.

---

Natus sum Konradus Erich Hartmut Zaehner Halis Saxonum die 18. mensis Ianuarii, anni MDCCCLI, patre Julio, matre Aemilia e gente Erichson, quibus superstitibus laetor. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in ipsa patria imbutus, anno h. s. LIX cum patre Regiomontum commigravi, ibique per quatuor annos frequentavi gymnasium Fridericianum, Horkelio rectore tunc florens. Anno h. s. LXIII quum pater Halas reverteretur, ipse quoque redux receptus sum in Scholam latinam, quae viro ill. Theodoro Adler etiamnunc floret. Maturitatis testimonio instructus anno h. s. LXVII adii universitatem Fridericianam Halensem, philologiae studio me navaturus, et per triennium audivi viros illustrissimos Bergkium, Bernhardyum, Boehmerum, Conzium, Delbrückium, Heynium, Keilium, Kramerum, Leonem, Pottium, Schoenium, denique ipsum patrem dilectissimum. Seminarii philologici per quatuor semestria, paedagogici per duo semestria fui sodalis; in societates liberalissime me receperunt vv. ill. Boehmerus, Conzius, Delbrückius, Heynius, Keilius, Schoenius. Anno h. s. LXX Berolinum me contuli, ibique per unum annum interfui scholis virorum ill. Friderichsii, Hauptii, Müllenhoffii, Mommsenii, Weberi. His viris omnibus, et Halensibus, et Berolinensibus doctoribus, optime de me meritis, gratias ago quam maximas.



## SENTENTIAE CONTROVERSÆ.

### I.

Horatius iambos non tam acerbitate quadam et rabie animi incitatus scripsit, quam insita hilaritate et facetiarum amore permotus.

### II.

In tragoediae Graecae diverbiis doricae dialecti nihil inest.

### III.

In Aeschyli Persis versus 346—350 non transponendi sunt, sed mutatis personarum signis, quae Med. habet, legendum sic:

*ἀλλ' ὦδε δαίμων τις κατέφθειρε στρατόν,  
τάλαυτι βρίσας οὐκ ἰσορρόπῳ τύχῃ  
θεοὶ πόλιν σώζουσι Παλλάδος θεᾶς.*

*AT. ἔτ' ἂρ' Ἀθηῶν ἔστ' ἀπόρθητος πόλις;*

*AT. ἀνδρῶν γὰρ ὄντων ἕρκος ἔστιν ἀσφαλές.*

*AT. ἀρχὴ δὲ ναυτὶ συμβολῆς τίς ἦν, φράσον κτλ.*

### IV.

Aesch. Prom. 349 sic legendum est:

*ἔστηκε ζῶν οὐράνου τε καὶ χθονός,  
ὅμοιρ ἑρείδων ἄχθος οὐκ εὐάγκαλον.*

### V.

Soph. Trach. v. 188 pro *βουθέρει* legendum est *βουθόρω*.

### VI.

Virgilii versus in Aeneidos l. I, 456—493 non de statuis in templi fastigio positis, nec de caelatura valvarum, sed aut de sculpto zophyri lapide, aut de pictura in templi parietibus intelligendi sunt.

### VII.

In Hartmanni Iweinio non recte Lachmannus transposuit versus 69 et 70.

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 035 494 1





LIBRARY OF CONGRESS



0 003 035 494 1